

# PALAESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

Compositiones vertendae.	
Congregationi.... mnemosinon	
De congregationis Claretianae per orbem propagatione	SARMIENTO
De «cum» conjunctivi natura	JIMÉNEZ
Pro M. Tullio Cicerone peroratio,	AVENARIUS
Lucretiana,	ORTH
Carmen saeculare Cordis Mariae	
Filiis decantandum a Congrega- tione condita anno centesimo percurrente	MAULEÓN - CEBRIAN
Pio Papae XII Pontifici Maximo	LASERNA
Commercium epistulare	
Perficit	BASABE
Nova et Vetera	MIR
Bibliographia,	MAULEÓN
	RAMOS
	MOLINA
Palaestra Exercitatoria	MARCOS
Curiosa et Jecosa,	MAULEÓN

*Ordinarii et Superiorum licentia*

# Compositiones vertendae

## TERENCIO (III)

De esta falsa acusación (38), Terencio se duele (39) en el prólogo de sus comedias. Parece que débilmente (40) se defendió por no desagradar a aquellos dos (41) ilustres personajes a los cuales resultaba demasiado honroso. (42) Huyendo, pues, de la maledicencia, (43) se marchó a Grecia, y cuando volvía, enriquecido con preciosos estudios sobre aquel teatro, (44) se dice (45) que pereció en un naufragio con ciento ocho comedias que había traducido de Menandro (46). Pero otros escribieron que murió en Estinfalia (47).

NOTAS: \*(38) *Res.* — (39) *Queri. conqueri.* — (40) *Levius.* — (\*41) El numeral es superfluo. — (42) *Laudi esse.* (43) *Invidia.* \*(44) *A scaenica graecorum poësi instructior.* — (45) *Traditur, tradunt.* — \*(46) *Ab aliquo vertere, convertere, transferre.* — (47) *Stymphalus, i.*

\*38 Aquí en lugar de «acusación» se diría mejor *res* que hace con frecuencia las veces de un sustantivo específico, cuyo concepto se ha expresado ya antes o puede fácilmente colegirse del contexto.

\*41 El adjetivo numeral cuando se refiera a cosas o personas ya nombradas se omite de ordinario en latín (*Plato et Aristoteles summa auctoritate philosophi, dos filósofos, etc...*)

\*44 A tiene el sentido de «por lo que se refiere a».

\*46 Adviéntase que se dice *ab aliquo vertere, convertere, transferre*, no *ex aliquo*, cuando se nombra el autor que se traduce.

En este mes de agosto estará de venta

## GRAMATICA GRIEGA

de Planque-Lerminiaux

traducida por TEXTOS PALAESTRA.

La avolaran el:

- Ser obra pensada y acreditada con la 3.<sup>a</sup> edición de cinco experimentados profesores belgas de un centro docente eclesiástico.
- Su sana y pedagógica y más amplia aplicación de la fonética a través de toda la morfología.
- La formulación exacta, breve, ordenada, distinta y clara, sensibilizada en la propia impresión y juiciosamente moderna de sus reglas morfológicas y sintácticas. — Pídase a Gráficas Claret. Lauria, 5. Barcelona

*Lectores nostri facile intellegent hunc fasciculum octo pagellis abundantius compleri, eo que numero sequens pariter abundavit; quo fieri ut — variis de causis — fasciculum unum omittere possimus quin lectorum animis eorumque legendi aviditati incommodum inferamus.*

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

15 pesetarum in Hispania et America.

17 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona

Scripta ad moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

CONGREGATIONI  
NOSTRAE · CLARETIANAE  
ANNORUM · CENTVM · AEVO  
CVMVLATAE

QVIBVS · VBIQVE · TERRARVM  
DIVINAM · GLORIAM · AMPLISSIME PROPAGAVIT  
BEATAE · MARIAE · COR · IMM · HONORIFICAVIT  
SANCTOS : VIROS · PROGENVIT  
EXIMIOS · CHRISTI · MARTYRES  
INDEFESSOS · MISSIONARIOS  
LITTERATOS · HOMINES  
LINGVAE · LATINAЕ · PRAECEPTORES

PALAEstra · LATINA

XVII · KAL · AVGVSTAS · A · MCMXLIX  
PIVM · MNEMOSYNON  
PERAMANTER  
DICAT

# De congregationis Claretianae per orbem propagatione

Quot quantaque saeculo XIX adversus Deum et rerum publicarum statum inventa atque effutita et gesta sint, nemo in terris ignorat.

Genus enim hominum novis rebus imbutum hoc unum sibi proposuerant defendendum: libertatis studium, quod dicunt. Scilicet, vetera odere, nova exoptare, pravos et perniciosos cives tegere, bonos sanctaque omnia insectari ac perseQUI, nihil parcere quod libidini inserviret.

Animorum discessus inde maximus exortus atque factionum in dies acriore certamina exarserunt. Qui homines populares profitebantur, suorum consiliorum studio minus faventes perdere cogitabant. Religionis contemptu ubilibet ingravescente, ipsum christianaे rei nomen odio erat humanitate apprime exultis! Ea tamen Apostolo Claret opportuna visa et arrepta sunt ad opus quod jamdudum parabat constituendum extollendumque.

Quae merito longius vivendo perseverant, ea ducenda sunt in solido fuisse fundamento sarta et evecta. •Omnium societatum praestantior nulla est, Senecae verbis utar, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti» (*Ep. 11*). Etenim in virtute firmatur rei cuiusvis natura imprimisque religiosae.

Quod quidem Dei misericordia singulari accidisse laetamur minimae huic nostrae Congregationi, propterea quod dilatatam magno animi gudio centesimo hocce festo exsultamus deque ea re insignes et praeclaras Deo O. Maximo gratias et habemus et referimus.

Fine autem et jure consistit non modo populorum verum uniuscujusque etiam hominis conventus atque concilium.

Conditae Congregationis finis in eo est ut in omnibus Dei gloriam, sodalium suorum sanctificationem, totiusque mundi animarum salutem quaerat (*Cons. I pars 1, 2*).

Ad jus quod attinet, ea constat Provinciis, Quasi-provinciis, Missionibus, Domibus, Residentiis et Quasi-residentiis. Summum vero principatum obtinet Director Generalis, Subdirector cum aliis quattuor Consultoribus, Procurator, Minister et Secretarius Generales; deinde tota res geritur Provincialibus, Superioribus localibus eorumque Consultoribus; postremo sunt Sacerdotes, Scholastici, Fratres Coadjutores (*Const. ib. II, 5*).

Silentio praeterire nefas est Patris Legiferi de sua a se condita Congregatione memoratu digniora testimonia et certa promissa. Inprimis praeclarum est quod Ipsam ad finem usque mundi duraturam praedixit; deinde omnes in ea morientes aeternam salutem certo certius consecuturos; tandem, per universum eam terrarum orbem propagatum iri.

Quod quidem re vera evenisse fere attingimus.

Fama accepimus et usu cottidiano edocti sumus quo pacto moriantur in Congregatione Filii Patris Claret. Maturos senes et optimae spei adulescentes,

placide quievisse cognitum proditumque est memoriae. Apud omnes constat egregia eaque beatissima morte defunctos qui supremum obiere diem suum in sinu hujus societatis, ut Bofill, Alvarez Icasa, Onofri aliique plurimi.

Haec certae rationis signa sunt fore ut alia promissa tandem aliquando contingent. Ne multa consecter summatim disserere juvat de Congregationis propagatione.

Initio sex sacerdotes fuere qui praeside Beato Antonio Maria Claret, Ausoniae in Hispania centum abhinc annis, die Virginis a Monte Carmelo, qui dies fuit sextus decimus mensis julii anni 1849, a fundamentis opus excitavere. Quo vixdum exorto, illa rerum novarum coorta est perturbatio anni 68, quae aut fugavit aut sodales ad centum ferme dispersit omnes et extores fecit.

Pace temporum et rerum publicarum advecta, Auctor et Legifer vita functus est quam sanctissima. Ad id temporis 12 domus exstructae erant, eodemque tempore apud Cilenas gentes prima sedes aedificabatur. Anno 1879, socii 294 numerantur et exstant domus undeviginti. Anno 1890, Congregatio constat 900 sodalibus et 44 domus possidet, donec exeunte saeculo XIX missionariorum 1.300 et 66 domus numerat, paene toto orbe diffussas: in Europa, Hispania, Italia, Portugallia; Insula Ferdinandiana in Africa; in America, Cilena, Mexicana, Brasiliensi rebuspublicis.

Auspicale festum septuagesimum agens plus tribus millibus socios habet claretiana Congregatio, in centum quattuor et quinquaginta sedibus viventes.

Post saeculum, en tibi ratio ipsius et status comprehensio: tota Congregatio coalescit sex Episcopis; duobus Praelatis nullius, 3.763 sociis toto orbe terrarum degentibus, 231 sedibus in decem provincias distributis, Visitationibus in Germania, Lusitania finitimisque insulis, neque in Europa solum sed in Foederatis Americae septentrionalis civitatibus, in Columbiana, Peruviana, Venezollana, Uruquariensi. Panamensi atque Argentina Republica et cunctis fere Americae Centralis insulis regionibusque. Tandem in Sina et Philippinis insulis percrebuit.

Sed quis ejus facta et opera et gesta commemoret? Probe scriptum reperimus: res eodem modo conservantur, quo generantur. Illud a Fundatore claretianae familiae est in fine positum ut omnes totius mundi animas quibuscumque rationibus Missionarii salvandas conarentur, dicente: «ut animarum studeant saluti, adhibeant omnia media sibi possibilia, maxime sequentia: primo, catechizare parvulos, pauperes et ignaros, juxta eorum necessitudines. Secundo, verbum Dei praedicare, et missiones et spiritualia exercitia dare omni generi personarum, praesertim vero sacerdotibus, scholasticis et monialibus, omniumque fidelium confessiones audire. Tertio, Seminaria dirigere et in ipsis Oratoriam, Theologiam moralem, necnon Caeremonias fovere» (*Const. II pars*, n. 63).

Ex ungue, leonem, ut ajunt; hominem ex operibus ejus: denique ex fruc-

tibus arborem bonam dignoscimus, quemadmodum est in Evangelio. Congregatio nostra centum hisce annis hos lectissimos rettulit fructus: missiones: 51.537; divinae mensae pignora disperita: 370.435.791; Spiritualia exercitia: 63.083; quadragenarias sacras orationes habitae: 4.995; menses sermocinatio-nibus comitatos: 7.930; majoris hebdomadae dies festos: 16.621; novendialia et septidua: 57.374; quinaria et tridua: 45.019; sermones et laudes: 862.033; contiones et colloquia: 1.172.407; secessuum dies: 77.643; christianaे doctrinae explanationes: 250.753; baptismata: 1.300.205; matrimonia: 262.211; confirmationes concessas: 1.279.092; morientium succursus et aegrotantium visitationes: 643.262.

Tamen, nihil actum si quid restat agendum, reputant Missionarii. (Cf. Luc *Phars.* II. 662). Itaque nec ullis prorsus posthabitatis vel praetermissis subsidiis et rerum gerendarum adjumentis, quod Pater ac Conditor peragendum indefessa opera praestituit, id ejus asseclae labente temporis cursu omnibus animi nervis et optarunt perficere et conati sunt.

His de causis, operum omne genus amplectitur Congregatio claretiana: a vera fide aberrantium conversionem et infidelium missiones; paroeciarum ministeria et curam; preli apostolatum et id genus alia. Potissimum consideranda est moderatio et institutio in pueris atque juvenibus edocendis infor-mandisque. Haec siquidem nota singularis nuper sollemniter tributa est ei a Sacra de Religiosis Congregatione, publico decreto quo sequentia apertissime definita habentur: «Congregationem Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., ad mentem et expressam voluntatem Legiferi Patris ac Fundatoriis B. Antonii M. Claret., esse jure meritoque adnumerandam cum magno animarum fructu ministerium educationis ac instructionis, tam laicorum quam religiosorum et clericorum, in omnibus gradibus usque ad academicos, sive civiles sive ecclesiasticos et in cunctis utilibus formis externis internisque, ex officio propriaque missione et hucusque pro viribus prout adjuncta probantur, vacavisse et in posterum vacare posse et debere» (R. 22 m. augusti an. 1947).

Quae cum ita sint, omnibus scientiis tradendis edocendisque incubuere Beati Claret filii sive Universitatibus sive Collegiis cum civilibus tum religiosis et in praesentiarum incumbunt. Plurima folia diversis orbis partibus edun-tur opera et studio eorundem Missionariorum, quae inter nominanda occurrit PALAESTRA haec nostra LATINA et «Commentarium pro religiosis et missionariais», cet. Similiter multa in lucem data sunt opera de omni re scibili; nihil enim reliqui fecerunt claretiani sodales quominus tanti Patris vestigia preme-rent ac sedulo sectarentur, hoc unum piae oculis habentes, Dei scilicet glo-riam, B. Virginis honorem, suorumque salutem animorum et perfectionem.

RAYMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

# De «cum» conjunctivi natura

Quodcumque latinum opus perlustraveris, in eo haec tibi conjunctio saepe oculis obveniet. Est enim omnibus scriptoribus familiarissima, sed interdum haud interpretatu facilis. Unde nihil mirum si varias apud grammaticos praebuerit quaestiones.

In praesentiarum tamen placuit de ejus tantum *origine* disserere, quantum in animo est summatim, data opportunitate, agere quoque de *sensu* ejusdem et *usu*.

Ad rem igitur.

«**Cum**, ORIGINEM DUCIT A RELATIVO «**QUOD**». — Ad quam rem satis sit haec proferre:

1. «*Cum*, et pronomem relativum. Natura hujus conjunctionis ex hoc nempe patet, quod facillime pronomen relativum substituit aut ab eo substitui potest. Ergo quaedam interest propinquitas inter «*cum*» et relativum pronomen. Sic ex. gr.:

Pl. Capt. 516: Nunc illud est *quom* me fuisse quam esse nimis mavelim.

Cic. Brut. 20: Hunc elegimus diem, *cum* te sciremus esse vacuum.

Cic. de or. 1, 28, 129: saepe enim soleo audire Roscium, *cum* ita dicat...

Cfr. Cic. Lig. 20: Eo tempore *cum...*; Phil. 5, 38; Mur. 82: illo die *cum...: de nat. deor.* 24, 12: haec qui videat = haec *cum* videat.

2. *Similitudinem phoneticam*. Etenim *quom* apud priscos scriptores, postea *quam*, idem est atque *cum*.

Jam vero *cu a qu* procedit, uti ex his exemplis patet: <sup>(1)</sup>

*locutus, non loquutus, a loquor*

*querqus, non querquus, refer ad querquetum.*

Sed utrum ab accusativo masc. \**quom*, nunc *quem* a \**quim* per similitudinem ad *navim* > *navem* <sup>(2)</sup>, an potius a neutro *quod* originem ducat, disputant grammatici et adhuc sub judice lis est <sup>(3)</sup>.

Si vero *quom* > *quam* > *cum* a neutro *quod* procedit, cur *d* in *m* transit?

Ex analogia cum aliis conjunctionibus: *dum, num, nam, tum,* <sup>(4)</sup> *quam*.

(1) ERNOUT, Morphol. hist. du latin, 1945; pag. 150.

(2) Cfr. NIEDERMAN, Phonétique hist. du latin, 1945, pag. 116.

(3) Plerique grammatici *quom*=*cum* derivant ex relativo «*quem*»; ita ex. gr. W. Kroll, *La sintaxis científica en la enseñanza del latín*, Madrid, 1935, p. 96: «Exactamente igual es lo que ocurre con *quom*, que es evidentemente un accusativo masculino y cuya naturaleza relativa se pone de manifiesto muchas veces vieniendo a continuación de una palabra correlativa (Cfr. WACKERNAGEL, Vorles. I, pag. 244)». Sed *cum* duplex sit thema *qui* et *quo* in relativo pronomine (cfr. LAURAND *Manuel des études G. et L.* VI, 181) mihi magis consentaneum visum est *quom* ad accusativum *quod*, referre a themate *quoniam qui-*, *m* littera oborta ex analogia cum aliis conjunctionibus, *tum, num, dum*.

(4) *tum*, a gr. *τό*, sans. *tad* (cfr. PIZAGALLI, *Gram. Sanscrita*, Hoepli 1931, p. 67).

At *-m* littera in his conjunctionibus non ejusdem condicionis est ac *-m* finalis; nam «illa littera *m* quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur» (QUINT. *Int. Orat.* IX, 4, 40); immo, teste Velio Longo, «ubicumque prima vox *m* littera finiretur, sequens a vocali inciperet, *m* non tota sed illius prior tantum scriberetur»,<sup>(5)</sup> et apud poëtas elideretur vi synaloephes seu rectius ecthlipsis.

EXEMPLA: TER. *Phorm.* 653: in servitutem pauper(*em*) ad ditem dari.

CATUL. 64, 57: desert(*am*) in sola miseriam se cernat harena.

VERG. *Aen.* 3, 523: Itali(*am*), Italiam primus conclamat Achates.

Quae vero ecthlipsis non fit in conjunctionibus antea propositis, *cum, dum, cet.*<sup>(6)</sup>

EXEMPLA: PL. *Capt.* 395: dicio patri quo pacto mihi *cum / hoc* convenerit.

TER. *Phorm.* 982: adsequere, retine *dum / eg(o)* huc servos evoco.

LUCR. III, 1082: sed *dum / abest* quod avemus, id exsuperare videtur.

HORAT. *Sat.* II, 2, 28: quam laudas pluma? cocto *num / adest* honor idem?

3. «*Cum*, et «*quod*, in verbis affectuum. Ad identitatem inter «*quod*, et «*cum*, accedit haec alia probatio. Verba affectuum, quae nempe gaudium, moerorem, admirationem exprimunt, particula *quod* saepissime secum ferrunt. Sint exempla Tulliana:

CIC. *Div.* 24, 51: Cato *mirari* se ajebat *quod* non rideret aruspex. ATT. 15, 27, 1: *Gaudeo* id te mihi suadere *quod* ego sua sponte pridie feceram. *Fam.* 2, 5, 1: *Quod* abes *gratulor*.

Quod tamen nihil obstat quominus hujusmodi verba particula «*cum*» copulentur. En aliqua exempla:

PL. *Mostell.* 1, 128: Salvos *quom* advenis... *gaudeo*.

CIC. *Fam.* 9, 14, 13: *Gratulor* tibi *cum* tantum vales apud Dolabellam.

Cfr. CIC. *Fam.* 13, 24, 2; SALL. *Jug.* 102, 5: *gratias ago... cum; magna laetitia nobis est ...cum.*

4. «*Cum*, pro «*quod*, in propositione causalı. Adde quod in propositione causalı facile *cum* adhibetur pro conjunctione *quod*. Exempla nonnulla affera-mus:

CIC. *N. D.* 2, 79: *Cum* sint in nobis consilium, ratio, prudentia necesse est deum haec ipsa habere majora.

CIC. *Fam.* 13, 24, 2: *Tibi* maximas *gratias ago cum* tantum litterae meae potuerunt.

TER. *Andr.* 487: *Deos* quaeso ut sit superstes quandoquidem ipsest ingenio bono  
cumque huic est veritus optumae facere adolescenti injuriam.

JUVEN. 4, 14: *Quid agas cum* dira et foedior omni criminе persona est?

CIC. *de or.* 2, 154: *Quo* etiam major vir habendus est (Numa), *cum* illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope saeculis ante cognovit, quam eam graeci natam esse senserint.

CIC. *Mil.* 69: Erit illud profecto tempus et illucescat aliquando ille dies, *cum* tu fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

CIC. *de or.* 3, 37: *Dies et noctes Q. Tuberonem videbamus, philosopho cum operam daret.*

CIC. *Brut.* 205: *Saepe ex eo audivi, cum se scribere neque consuisse neque posse diceret.*

(5) KEIL, *Gram. Latini*, VII, p. 80, 17. — (6) NIEDERMANN, op. cit., § 52, 3.<sup>o</sup>

Neque desunt exempla in quibus ipse Tullius vel *cum* vel *quae*, omni formidine abjecta, sine ambiguitate adhibet.

Cic. *de off.* 3, 12, 50: Incidunt... saepe causae, *cum* repugnare utilitas honestati videtur.

Cic. *de rep.* 2, 10, 18: Incidunt saepe causae, *quae* conturbent animos utilitatis specie

Quae cum ita sint intellegi potest cur Dr. Gardner Hale<sup>(6)</sup> omnem fere explicationem de «*cum*» conjunctivo ad syntaxim de relativo conferat, quia revera vim et originem habeat a relativo pronomine mutuatam.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

## Pro M. Tullio Cicerone peroratio<sup>(1)</sup>

Sed age veniamus ad id quod eram pollicitus, ut proponam, qualem ego personam M. Tulli Ciceronis viderim. Hie ego certe non sum dicturus Tullium inter paucissima ingenia numerandum esse, *quae* ad omnia doctrinae et artium genera quasi facta existent, singula singulis saeculis. Sed indole praeditus mediocri maiore, virili industria hoc est assecutus Tullius, ut artis dicendi attingeret apicem summum, linguam latinam ad summam adduceret elegantiam. Quem ipse postea summum oratorem descripsit, ipse propemodum factus erat, cum non solum gnarus linguae esset suae, ut nemo praeterea, verum etiam in philosophia exercitatus, in disciplina juris eruditissimus, in historia romanorum et exterarum nationum versatus et ita in omni genere diligens, ut de omnibus rebus graviter, ornate, copioseque diceret. Ipse in libris *de Oratore* apparatum veri oratoris commemorat (l. l. 16-20). Neque illa studia in pueritia suscepta postea remisit unquam. Quam est etiam hodie jucundum et utile ea perlegere *quae* in oratione illa, qua defendit Archiam poëtam, de sua humanissima animi remissione liberalissimaque proponit (12-16). «Haec studia, inquit, adulescentiam alunt, senecturem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur». Quam bene se ipse Tullius illis verbis descripsit, neque vero inanibus verbis, siquidem numerari et contemplari licet scriptos ab eo libros, dicere etiam, quo singulos scripserit anno. Conspicatus decem operum ejus tomos Teubnerianos propriam condidisse eum dicas bibliothecam. Nam habes istic orationum ejus septuaginta quinque, rhetorica opera septem, philosophica tredecim, epistulas ab ipso scriptas octingentas fere, orationum fragmenta septemdecim. Quis non fatebitur singulari dumtaxat industria Ciceronem tot scripsisse libros, praesertim cum cogites non pauca ejus opera vel neglegentia vel injuria temporum interisse. Accepimus triginta praeterea orationum ejus titulos,

(6) W. GARDNER HALE, *The cum constructions: their history and functions* (cfr. RIEMANN, *Syntaxe latine*, Klincksieck, Paris, 1942, pag. 434).

(1) Cfr. fasc. sup. p. 43.

ediderat Hortensium vel de studio philosophiae, de Consolatione, de Gloria, de Virtutibus, de Jure civili in artem redigendo libros, Oeconomicum scripsit et Protagoram, historiam sui consulatus grecce scripsit et Anecdota, clandestinam sui temporis historiam et Admiranda.

Atque illis scriptis omnibus M: Tullius hominem se praebet vere latinum, linguae latinae absolutam imaginem Quae ille loquitur clara sunt et elegantia, pura, rotunda, propria, venueta, nitida. Ciceronis ingenio latinorum sermo ad summam perfectionem effloriguit. Rebus etiam jejunioribus eam addebat formam, ut lectorum non offendant aut satient, sed oblectent. In orationibus certe, quarum non raro et ipsa distributio partium psychologicum artificium est, si non omnibus locis eadem habet aciem vehementiamque argumentandi, quam habet Demosthenes — natura non erat eadem — in reliquis rebus par graeco est, copia et nitore dictio- nis et doctrinae varietate graecum etiam superat neque cujusquam alias oratorum graecorum et romanorum par inveniri Ciceroni potest, cuius dicendi exemplis jam duobus annorum millibus illi se exercuerunt, quos summos oratores habent galli, angli, itali, hispani. Stus. Augustinus, magister rhetorices haud ignobilis, in dialogo quem contra Academicos edidit (16) interrogat: Quid in lingua latina excellentius Cicerone inveniri potest? Haec igitur Ciceronis excellentia, haec Ciceronis magni- tudo est, quam ne innumerabilis quidem diruet series annorum nedum salsa criti- corum loquacitas. In summis ideo numerandus Cicero viris est, quod, ut idem dicit Augustinus, vir fuit eloquentissimus.

«Sed fuerit, inquiunt, magnus orator Cicero, nam, si non fuisset, non eum essent secuti summi illi oratores Bossueti, Segnerii, alii. Sed quare se etiam philosophum esse volebat, quare, qui nihil minus esset, quam ad cogitandum acutus, de philosophia edidit libros?»

Placide, oro vos, placide! Vide, ne, quae res novam Tullio neque tenuem conciliet laudem, eam tu temere vertas vitio. Nam Cicero insignem se esse volebat oratorem, et indefessa a puero contentione factus est, vel, si mavis audire, se fecit summum oratorem romanorum et linguae latinae scitissimum politorem. Quomodo non accederet etiam ad philosophiam, qui orationem explicatam philosophiam esse diceret? Quod latini non erant, graecis se philosophis in disciplinam dedit. Non fateberis et tu hoc quoque pertinere ad Ciceronis laudem, quod non minus graece quam latine philosophabatur et declamabat? Itaque discebat Arpinas noster, quae illi doctores tradebant, neque hodie inspicere possumus scholarum illarum tabulas et ex censuris ibi notatis hominis in philosophia divinare progressus. Omni se Tullius instructum volebat supellectili oratoria, se parem aut supparem Demostheni volebat, non Aristoteli. Et ultro nos primi fatemur Ciceronem, si aemulator fuisset Aristotelis, nunquam alterum Aristotelem futurum fuisse sua praeditum indole. Sed quonam tandem pacto in Ciceronis vitiis erit, quod non singulari prorsus Aristotelis aut Augustini, aut Thomae Aquinatis acumine excelluit? Quorum si quis ordine ingeniorum Ciceronem haberi velit, primi, inquam, nos cum Ciceronem neque fuisse neque unquam se ipsum voluisse conclamabimus. Sed quod philoso-

phiae, quoad vixit, deditissimus fuit, quod ex graecorum auditorum libris quae digniora viderentur perimus latinorum latine est interpretatus, quod primus sui elegantia stili popularibus suis et venturo imperio romanorum ostendebat etiam latinam linguam idoneam ad philosophandum praebere formam, nonne ipsi summae tribuendum laudi est, non magno nobis gaudio debet esse, etsi idem non etiam nova philosophiae solvit prob'emata? Immortale Ciceronis est meritum, quod certo atque sano judicio et tota graecorum philosophia ea eligebat sibi tractanda et latina elegantia perornanda, quae prodesse possent popularibus. Nam illis temporibus philosophi hominum fingebant mores eo fere modo, quo post conditam Ecclesiam curatores animarum nos ad bene vivendum informant.

Non dico hoc loco Tullium in suis philosophicis libris non pauca servavisse posteritati quae ad philosophiae historiam pertinent, qui sine iis libris ignoraremus; quam ille subtiliter in libris *de natura deorum* (ut I, 2; III, 2; II, 37) describit mundi ordinem, quo intellegamus praesesse supremum aliquod mundo numen! Quam vicinus est veritati haec anima naturaliter christiana cum disputat de natura et immortalitate animae hominis! Quam recta ille proponit praecepta vitae in libris de officiis ad Marcum filium! Non potuit, qui evangelium non novisset, evangelio describere vicinius, rectae rationi convenientius. Prophetam audire videris cum legis quae Lactantius ex tertio Ciceronis de republica libro (22) transcripsit: «Est quidem vera lex recta ratio naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat; nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alias, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit quasi magister et imperator omnium deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi certa supplicia, quae putantur, effugerit».

S. Augustinus certe Ciceronis Hortensio se ad studium sapientiae excitatum esse confitetur in Confessionum suarum libro tertio (4), ubi hoc se in illa exhortatione dicit delectatum, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quaecumque esset, sapientiam juberetur amplecti. Accensum esse se; solum illud in tanta se refregisse flagrantia, quod non esset ibi nomen Christi. Quod nomen si Tullius cognovisset, si duobus saeculis serius natus esset, assentior libenter Alberto Weiss Dominicano, aliquo Joanne Chrysostomo Ecclesia Christi hoc lumine oratorio esset ditior.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Romae, 1949

(sequar)

# LUCRETIANA

43: ornatas armis *scafulas mariterque animatas...*

*scafulae* sunt parvae naves ad milites transportandos. cfr. VEGETIUS, *de re militari* (Teubner.) p. 81, 5. 165, 4. *mariter* idem est ac *viriliter*; error haplographiae est: *mariter, tariter.*

85: nam *quam* cita saepe

«*quam*» periit post «*nam*» similis finis causa «*quam saepe*» est sic copulandum ut idem ac «*quotiescumque*» valeat.

210: Sol etiam *dominus* de vertice dissipat...

*Sol* ut deus et persona majuscula littera S scribi debet et est *dominus* qui dissipat ardorem et conserit arva.

252: exoritur *rursus* novus ordine certo...

«*rursus*» haplographia post «*-tur*» periit.

381: per facilest *amili* ratione exsolvere nobis

«*amili*» ad amilum, amyelon pertinet quod non pulvereo modo, sed modo multo crassiore et granoso molitum est. Significat: obiter, leviter, non profunde.

428: prostantibus *usque*

«*usque*» est particula conjunctiva eadem vi praedita atque «*usque dum*», cfr. STOLZ-SCHMALZ, *Lat. Grammatik* 779, 3.

460: penetrareque *baxas*

*baxae* calcei sunt. cfr. ERNOUT-MEILLET 106.

512: sunt, *at*

*at* est particula oppositionis, quae haplographia post «*-nt*» sublata est.

779: efficitur quiddam quadratum unaque *figurans*,

*figurans* est id quod figuram gignit; error sic exstitit: *figurans, figuras* (*n* littera nasalis elisa est).

1147: et fulcire, cibus *simul* omnia sustentare

ter «*cibus*» ponere nimium est, propterea «*simul*» optime in sensum quadrans bonam variationem efficit.

1162: ferrum vix arvis *suppeditatis*:

«*suppeditatis*» est secunda persona pluralis. Antecedunt aliae plurales: conterimus boves et viris... conficimus.

1168: vetulae vitis sator atque *vacivae*.

*vaciva* est antiqua forma pro «*vacua*»; vitis vetula et *vaciva* est, ut *viticola* queritur; omnes editores adhuc Nicolaum Heinsium secuti criticae expertes «*vietae*» scripserunt, quod hoc loco falsissimum est; nam *vitis vieta* edi potest, non autem *vaciva*; error sic evasit: *vacivae, fatigat.*

### III

58: et eripitur persona *mala ore*.

agitur de *mala*, falsa, fallaci *persona*, quae *ore* (=ablativus separativus) eripitur, inter se opponuntur verae voces et mala persona, ab imo pectore et ore. Error scripturae sic ortus est: *malaore*, *malare*, *manare*.

321: vestigia parvola, quae nequeat ratio depellere *rectis*...

*recti* sunt illi homines, qui recta ratione utuntur; error codicum ita ortus est: *rectis*, *roctis*, *noctis*.

391: prius est in nobis multa *ciendom*...

forma gerundii antiqua est; quare error scribendi «ciendo» facilis erat.

453: delirat lingua, *natat mens*.

apta videtur metaphora ad incertum mentis statum indicandum; cf. MANILIUS IV 257; omnia verba hujus versus primae conjugationis sunt.

594: videtur ire anima ac toto solvi de corpore *sensus*...

ad animam *sensus* super totum corpus diffusus adjungi debet; cfr. III 578.

596: molliaque *exsangui* cadere omnio membra *figura*.

*exsangui figura* inter se jungenda sunt.

702: dispergitur *eo* per caulas corporis omnis

«*eo*» significat idem ac propterea, igitur error sic evenit: *eo*, *ergo*.

887: stansque jacentem *ipsum* lacerari

«*ipsum*» hoc loco «eundem» significat. cfr. STOLZ-SCHMALZ. *Lat. Grammatik* 5. ed. p. 480.

962: aequo animoque, agedum, *mancis* concede...

*manci* sunt egeni, quibus dives moriens cuncta bona relinquere ac distribuere debeat; error codicum sic evasit: *mancis*, *magnis*.

1001: saxum quod tamen *a* summo jam vertice rursum vertitur...

praepositio «*a*» melius ad «vertice» quadrat.

1016: horribilis de saxo jactus erorum...

*eri* (=domini) dejiciuntur, non autem servi, quippe qui statim in aedibus vel hortis dominorum necantur neque ad saxa transportantur; error codicum ita ortus est: *erorum*, *eorum*.

1061: subitoque *recurrat*...

verbum *recurrendi* hoc loco propter «subito» ponendum est; cfr. III 1063 «currit».

### IV

166: speculum quocumque obvertimus *orbis*

quocumque est adverbium locale cum genitivo «*orbis*» sicut dicitur «ubique terrarum» vel «ubinam gentium», error hanc viam processit: *orbis*, *oris*.

EMIL ORTH

(*sequar*)

# *Carmen saeculare Cordis Mariae Filiis decantandum a Congregatione condita anno centesimo percurrente*

*Conditor noster Genitorque, Claret,  
qui tenes altam super astra sedem,  
da pius nobis quae humiles precamur  
tempore sacro,*

*quo tuae Prolis pietas, ab illa  
condita primo redeunte saeclo,  
fervidum jussit Superis benignis  
dicere carmen.*

*Virgo, Fundatrix Genetrixque nostra,  
gentis humanae decus atque custos,  
ulla si Prolis Tibi cura Peccus  
occupat altum;*

*linque caelorum latus, et vocanti  
ture Te multo Suboli per orbem  
lenis intersis, calidisque praesens  
annue votis.*

*Vosque, felices nimium Sodales,  
qui, redemptorum comitante pompa,  
luce candentes petiistis alto  
sidera cursu,*

*quique nunc pallis niveis amidi  
cingitis densa legione Matrem;  
sedulis fratrum precibus potentes  
jungite vestras.*

*Gentis o nostrae Pater atque Princeps,  
supplices audi placidus nepotes;  
supplices specta, pia Virgo, blando  
lumine natos,*

*quos in amotis amor unus oris  
hoc die, saeclo renovante, festo  
ad tuas auro nitidas rosaque  
congregat aras.*

*Omne si nostrum, Patre teste, coeptum  
est tuum, dulcis Genetrix, Tibique est  
tota nostrarum referenda semper  
gloria rerum:*

*si tuis curis operaque fotum  
Claret incoepsum, velut arbor, alte*

*crevit et late, mala dura vincens,  
bracchia pandit:*

*si tua ductum radiante luce,  
parva ceu navis, superavit omnes  
aequoris casus, tenuitque portum  
suspite cursu;*

*da Sacerdotes pietate claros,  
da probos Fratres Juvenesque castos,  
da Tibi carae decus omne Proli  
rite precanti.*

*Sit novus sanctis honor Institutis,  
Castitas crescat rutilans, ametur  
saeva Paupertas, vigeatque legum  
maxima cura.*

*Quisque, majorum stimulatus aetis,  
multa pro Christo jaculetur audax,  
atque vexillum Mariale toto  
perferat orbe.*

*Omne jam caelum regioque sentit  
impigram Claret Mariaeque gentem,  
qualibet Cordis sine labe signum  
albicat aura.*

*Jam Deus, Matris prece motus altae,  
aureos nobis meditatur annos,  
audet et nostris meliora rebus  
jungere fata.*

*Perge, Fundatrix, ope nos juvare,  
ut tuas, saecli redeunte cursu,  
gaudeat major Tibi parta Proles  
dicere laudes.*

*Surget infrendens Satanas in illam,  
impii surgent homines frementes;  
illa, montanis uti pulsa ventis  
aesculus ingens*

*multa quam bello docuere saecla,  
perferet pulsus, potiorque diram  
facta post pugnam, feriet superbo  
culmine caelum.*

## Himno secular (*versión*)

Oh Fundador y Padre, cuyo asiento  
sobre los a'tos cielos se levanta,  
danos, benigno, lo que con acento  
humilde te pedimos en la santa

festividad en que el amor piadoso  
de tus hijos, tras cien años de historia,  
ha decretado alzar al bondadoso  
cielo este ferviente himno de gloria.

Oh Fundadora y Madre, honor preciado  
del humano linaje, y protectora,  
si en tu almo pecho anida algún cuidado  
por tu Congregación, deja, Señora,

la mansión celestial, y ven, piadosa,  
a morar con tus hijos que, devotos,  
te invocan con incienso y, poderosa,  
da asentimiento a sus ardientes votos.

Y vosotros, hermanos bienhadados,  
que con cortejo de almas para el cielo  
y de cándida lumbre coronados  
ganasteis el empíreo en alto vuelo,

que de níveo manto ahora vestidos  
rodeáis a la Madre en densas haces;  
juntad a nuestros ruegos repetidos  
los vuestros poderosos y eficaces.

Padre y Caudillo nuestro, placentero,  
oye a tus hijos; mira, Virgen pía,  
a los que en este día, mensajero  
cada siglo de gozo y alegría,

y en playas apartadas y distantes  
un mismo amor estrecha en sacro coro  
y lleva a tus altares deslumbrantes  
— florecidos de rosas y de oro —.

Si todo es obra tuya, como un día  
dijera nuestro Padre, si a tu gloria  
hemos de dirigir, Virgen María,  
todo el ancho caudal de nuestra historia;

si al calor de tu amor y tus desvelos  
el árbol de Claret tendió anchuroso

su ramaje, y la copa alzó a los cielos,  
sobre los huracanes victorioso;

si al vívido destello de tu lumbre,  
la nave de Claret, con rumbo cierto  
y dichoso, del mar la muchedumbre  
de azares sorteó, y alcanzó el puerto,

da a la Congregación de tus amores,  
pues te lo pide con rituales cantos,  
honor y prez, sencillos Coadjutores,  
Jóvenes puros, Sacerdotes santos.

Cobren las Reglas nueva reverencia,  
suba la Castidad inmaculada,  
brille resplandeciente la Obediencia,  
y la austera Pobreza sea amada.

Cada cual sienta el agujón fecundo  
frente a pasadas gestas, y audaz quiera  
soñar cosas por Cristo, y por el mundo  
pasear de María la bandera.

Ya todo el orbe estremecido siente  
al invicto linaje claretiano,  
y a todo viento ondea resplaciente  
el vuelo del pendón cordimariano.

Ya Dios, al ruego maternal rendido,  
dichosa edad de oro nos prepara,  
y dar intenta a nuestro bien crecido  
aumentos de ventura y gloria rara.

Síganos protegiendo tu clemencia,  
para que cada siglo, Madre amante,  
gozosa tu acrecida descendencia  
en himno secular tus glorias cante.

Contra ella se alzará Luzbel con saña,  
se alzará la impiedad embravecida;  
ella, como alta encina en la montaña  
de borrascosos vientos sacudida,

pero en lid secular ejercitada,  
resistirá al embate, y más pujante  
tras la dura contienda porfiada,  
taladrará los cielos arrogante.

(Colegio Máximo de Valls)

I. MAULEÓN, - C. CEBRIÁN, C. M. F.

# *Pio Papae XII Pontifici Maximo*

## *Oblatio Congregationis Filiorum Imm. Cordis Btae. Mae. Virginis*

*Pontifex dulcis, Fidei Magister:  
Perfidas mundi tenebras refellis  
Luce qua terrae Cathedram supremam  
Dirigis alte.*

*Nauta qui ponti tumidam procellam  
Desuper navem videt irruentem,  
Erigit moestas oculos in umbras  
Voce querenti.*

*Sic, Pater, sidus petimus beata  
Roma quo fulget, pelago fremente  
Fluctibus noxae quibus urget orbem  
Agmen averni.*

*Tu Dei magni sacer Administer  
Insuper reges diadema splendens  
Obtines, ipsos superans nitore  
Nobilitatis.*

*Cor pium pandis populis; benignum  
Parvulis pectus retegis; luposque  
Pellis e caula, parilis sacrato  
Upilioni.*

*Pacis ut Princeps, hominum cruenta  
Bella detrudis; fera corda mulces  
Quae tuam vocem sapient perenne  
Pignus amoris.*

*Ipse nunc nobis benedic paterne  
Dum tui nostros animos amoris  
Subdimus sceptro petimusque Amici  
Nobile foedus.*

*Martyr ob tantum fluvium cruentis  
Qui necem diram gerit innocentis  
Victimae cuius misereris haustae  
Aere vel ense...*

*Intimo laesus gladio doloris  
Pergis ad pectus Genetricis, unde  
multa dimanat, Cruce vulnerante,  
Gratia Christi.*

*Consecras Cordi varios Mariae  
Incolas terrae; precibusque sanctam  
Gentibus pacem timidis rogando,  
Hostia perstas..*

*Claret idcirco Legio Beati  
Fervido plausu celebrat triumphum  
Virginis cuius solium venustro  
Lumine ditas.*

*Semper o Mater generosa nostra  
Hunc Sacerdotem Domini Supremum  
Hostibus viatis tege sub corusca  
Pectoris arca.*

*Quando tutelae pietas reposcat  
Maximum vitae pretium: libenter  
Munus oblatum, cruciante ferro,  
Sanguinis ecce.*

*Gulielmus Laserna Villegas, C. M. F.*

# Commercium epistulare

I. González, C. M. F., P. Josepho Mir, «Palaestrae Latinae» Moderatori, s.

Multum ac saepe cogitavi mecum, quanam potissimum ratione id judicii sapientissimi tui libri prelo jam excussi. **NOVA ET VETERA**, ad te darem, quod jam diu tibi receperam, quodque magna tu mihi benivolentia expostulasti. Verum magis, mihi crede, in dies haerebat aqua; remque supra meas vires denique existimavi: praeclarior enim longe liber est, quam ut paucis queam amplexari. Atque mihi ceterum ipsem dicebam: Pernotum quidem lectoribus «Palaestrae Latinae» opus cui **NOVA ET VETERA** nomen, ab inclito hujus Commentarii Moderatore nuper exaratum; nullius igitur bibliographicae notae, res cum per se pateat cumque omnibus protractio quaedam «Palaestrae» liber appareat, opus est. Quocirca de eo amplius agere, nonne erit noctuam Athenas deportare vel, ut Horatius, in silvam ligna ferre?...

Ita mecum, bone, cogitabam; neque calami super plagulam tractus progediebatur, aut digitis potius dactylographum ullo pacto pulsabatur.

Nihilo tamen secius, pauca eaque ingenuitate plena tibi, viro amicissimo, proferam. Ambabus porro manibus tua **NOVA ET VETERA** plundo, librumque omnibus latinae linguae cultoribus commendandum autumno. Perbelle a te certo certius scriptum est; deque latina lingua es bene meritus. Aliis autem minutis omissis in aliud tempus, hic brevissime de illis verbis in «Lectoribus salutem» datis, disseram vel effutiam.

Illa nempe tu: «Tot hi labores ad trutinam et discrimin rursus revocandi sunt et tandem in coetum magistrorum afferendi, qui, probatis variis utrinque allatis rationibus, rem definiat et unam —si id fieri possit— omnibus adhibendam suadeat praecipiavite vocem. Quam dum exspectamus «Societatem Latinam» —cui omnes fideliter pareamus— libellum nostrum lectoribus proponimus, qui, si non omnibus probabitur, initium saltem erit disputandi».

At ego: profecto non exspectandum, sed laborandum tibi enitendumque est, ut ea instituatur «Societas Latina». Tu, exempli gratia, cum ejus modi Conditor tum Moderator eris; neque vel in his dissitis plagis ii, qui ipsi dent nomen libentes, deerunt. Sicque sacrum illud eloquium adimplebitur: Vis conjuncta fortior. Quaenam vero «Societatis Latinae» partes? Ansam tu idem sermonis dedisti: «Initium saltem erit disputandi». Res mihi quidem perplacet, proque Commentarii lectoribus eloquar; tibine item?

Atqui, initio jam posito, id primum efficiet «Societas» illa: totum latinitatis historicum thesaurum, quae nobis ejus modi succum exprimat, perscrutabitur. Atque id mihi ea de causa persuasi, quod, si quid mei judicii est, multa adhuc vocabula restant, quae nobis omnino abscondita manent, quo rumque locum alia recentioris ortus retinent. Heu, cor meum finditur! Multum facileque de penuria linguae latinae dicunt; ego vero saltem, nisi eo infinitas, de proposito dubitare ausim. Ceterum, quo plura nobis vocabula prae-

beat thesaurus linguae, eo pauciora nova (facile suspiciora) excudenda erunt. Tu mihi ipse testis es, quam ego olim de vocabulorum historia curabam, in nomenclatura nova excogitanda.

Unum dumtaxat, quod peculiare duco, propono tibi exemplum. Illum patientiae ludum, quem hispani dicimus «rompecabezas», tu vertisti vocabulo latino «deverticulo». Belle mihi vocabulum sonat; sed illud, bona tua pace, rejicerem. Quam ob rem? Primum, quia illi in dictionario res prorsus definita respondet, quae cum vocis veriloquio (*di-verto*) maxime consonat. Ac deinde ipsis in litteris classicis est vocabulum, quod, mea quidem sententia, commode ludo «rompecabezas» quadrat videlicet: «technophyrum». Quo usus est Suetonius. Vocabulum, facie prima, barbarum; sed cum etymologia tum historia ipsi suffragari videntur.

Quod mihi sermonem longius protrahere non liceat, equidem doleo. Dico igitur: Primus «Societatis Latinae» scopus latinitatis thesaurum exhaustire. Nonne hic perbelle de tuo Dictionario Hispano-Latino conficiendo? Optime, mihi crede, nota est nomenclatura Ciceronis, Caesaris, Nepotis...; sed haud scio an item Celsi, Ulpiani, Vitruvii, Plinii..., qui multa de medicina, jure et commercio, architectura et historia naturae nobis fere incognita proment. Qui quidem auctores, etsi non adeo classici, tamen quaedam nobis vocabula offrent nostrae culturae viciniora. Inter auctores classicos et nostrates «arcuatio» exstet necesse est. Quodsi in hoc judicio errem, versoriam ultro capiam.

Sed haec hactenus; alias de aliis tui operis Nova ET VETERA, quod mihi magni studii magnaenque aestimationis erit, quod item de lectoribus «Palaestrae Latinae» auspicor. Modo, quod maximi pendendum, firmissimum nobis prostat fundamentum ad totam fere instituendam nomenclaturam «Conversationis Latinae». Id vero tuae operaे debebitur. Cura ut valeas nosque ames.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir Ildephonso González C. M. F. Sal.*

Tuae suavissimae litterae —totiens aërio tramite advectae— sales quoque tuos illamque tuam in sermocinando peritiam —cum hispanicē tum latine— cum quadam jucunda loquacitate nobis advehunt. Perbelle ridemus, te dum legimus. Neque tamen displicet nobis —implicatis tot negotiis— cum amicis absentibus jocari.

Laudes, quas hac tua epistula illoque articulo tuo —in ephemeride Columbiana vestra «Virtud y Letras» vulgato— tribuis libello «Nova et Vetera», a me in latinum translato, nimirae profecto sunt omniumque exspectationem forte decipient: ne me in amicorum ac legentium derisum verteris... Bona pace tua dixerim, adeo sonitum edidisti —ut ille fabellae asinus— ut nisi te cognovissem et ego pariter fugissem. Tempus, omnium edax, opera nostra laudesque vestras comminuet...

Nunc ad tua quaesita, ac primum de *technophyto* illo, quod quidem diu investigavi; cum vero illud in lexico Forcelliniano et Freundiano non invenis-

sem, vocem putavi prorsus rejiciendam; deinde tamen cum verba illa in dictionario — a Miguel confecto — legissem, denuo mihi haesit aqua atque ab aliquo lexico illam vocem erutam existimavi. Calepinum igitur adii et ibi haec scripta in editione a. 1772 repperi: «Technophyon, n. 2, τεχνόψυον, artium officina, παρά τὸ φύειν τὰς τέχνας. h. e. a. producendis artibus. Suet. Aug. 72: Erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas et technophy whole vocabat» Quam vocem cum graecam cognovissem, dictionarium a Bailly exaratum curiosius evolvi, eam tamen ibi nusquam inveni, sed τεχνόψυον, quod lexicographus deminutivum a τέχνη derivatum interpretatur — quasi artem seu ingenium mediocre — atque hunc Suetonii locum Aug. 72 laudat. Rursus ad operam... et Suetonium ex editione Teubneriana in manibus sumpsi atque lectionem Baillyanam comprobata repperi; in textu enim *technyphion* prostat, quanquam in notis juxta alios codices *technophyon* profertur.

Patet igitur hanc vocem et graecam esse et pro certa ac singulari re significanda ab Augusto usurpatam et lectionem *technophyon* dubiam profecto esse; illam autem significationem a Miguel prolatam prorsus peregrinam a latinitate esse, cuius haec sunt verba: «*technophy whole*, yi, n. [de φύω = dar a luz]. Suet. Especie de juego que se hace con pedacitos de madera o de metal, cortados en forma de polígono, con los cuales se llega a ejecutar diferentes figuras». Luculenter ac plane vides quam facile in errorem incidamus cum quid nostrum in lexicis conficiendis addamus...! Cum tamen consilia tua denuo mecum ipse volutarem paullo infra in lexico Calepino haec de *technopaegnion* inveni. quae vox, nisi esset adhibita tantum in titulo carminis ab Ausonio editi, aptius forte cum nostro *rompecabezas* conveniret: «Technopaegnion... ludus artificiosus a τέχνη et παιγνιον, ludus. Ausonius hoc nomine inscripsit carmen suum, quod est *Idyll. 12.* in cuius praefatione ad Pacatum Procons. Technopaegnion, inquit, nemen dedi ne aut ludum laboranti aut artem defuisset ludenti. Continet autem illud carmen versus monosyllaba finitos, et interdum etiam inceptos omnesque multa arte compositos». Tu tecum cogita si ex hac Ausonii significatione parum deflexa ad nostrum *rompecabezas* devenire possimus, an malis illud *deverticulum* retinere.

Ad alia procedamus.

Pro nostro *alpinista* neque ausus sum neque audeo *alpinistam* producere, sed hominem *alpinum* vocavi tantum; nam sicut «*alpinista*» (hisp.) — qui ex vocis natura id tantum significaret qui *montes alpinos* *conscendit* — ad omnes transtulimus montium amatores et ascensores, idem fieri posse cum adjektivo «*alpinus*» putavi. Vox tamen, quam proponis *oribata*, quamvis generica et ex graeco fonte, respondet prorsus generali illi significationi (= *montium ascensori*); specificus vero sensus qui *alpini* (*alpinistae*) inesse videtur, — *voluptario* scl. *montium ascensori* — in *oribata* non appetet. Tamen libenter accipio tuum *oribatam*. — *Ardesiam* scribendum non ardusiam juxta Du. Cange; alibi vocem non repperi. De «*monobolo*», saltationis ludo, rursus cogitabo.

Tandem, video te in eandem incidere sententiam ac praeclarum P. Avenarium: opus in primis esse ut omnes veteres scriptores investigemus ac perlegamus assidue ut ex iis innumera exhaustiam vocabula quae nostris saepe aptentur usibus; cetera vero ex nostris linguis — quae quasi internationalia deveniunt — usurpemus. En tibi verba carissimi atque doctissimi in hac nostra disciplina perficienda P. Avenarii, quae nunc exscribo cum plures forte decurrent dies antequam suo loco in PALAESTRA edi possint: «O quam illi bene mererentur de universo humano genere, qui sua otia conferrent ad exscribenda ex majoribus vocabulariis nomina, quibus veteres et medii aevi viri appellabant res ad vitam communem et ad artes spectantes facta in ea litterarum ordine ex vulgari lingua et vicissim in vulgarem linguam via! Quantam sibi conciliarent gratiam illi viri doctiores, qui consociati, in collegium latinitatis, de novandis vocabulis constituerent! Qui peritos ad novandum invitarent, quae sunt novata colligerent, quae probarentur in lucem ederent! Sed postremum vereor, claudemus diem neque illos decem vel viginti viros creatos esse audierimus. et relinquitur, ut nos quod facimus, pergamus facere, ut nostrae memores tenuitatis ea meditemus, quae vita cotidiana a nobis vocabula exigat».

El alibi salutiferum léges monitum atque consilium: «Censeo illud tempus, quo nos decoquimus de latinitate vocum scrupulos, multo consumi utilius in legendis bonae latinitatis librīs, Ciceroniane potissimum et Tercianae, ut crescat linguae nostrae latīnae thesaurus, varietas, clangor».

Venerabilis semper mihi visa est sententia P. Avenarii omnibusque munieris perfecta ejus latinitas; illudque tantum conabar ne in illam putidam descenderemus latinitatem in qua saepe delabi visi sunt scriptores *Auxilii Latini*, *Societatis Latinae* aliique qui tot novarunt vocabula latinitati prorsus repugnantia atque obsona.

De ceteris alias. Res nostras, ut facis, amare perge et vale.

Barbastro, X Kal. Augustas.

## PROVERBIA

Non nisi patrata, canitur victoria, pugna:  
*hasta el fin nadie es dichoso;*  
*al fin se canta victoria.*

Nempe sua reputat reliquos ex indole pravos:  
*piensa el ladrón que todos son de su condición*

Nitimus in vetitum semper cupimusque negata:  
*por la gula heredada buscamos la fruta vedada.*

Factis non verbis firmantur amorque fidesque:  
*el amor y la fe en las obras se ve.*

# PERFICIT

1. **Quid sit "Perficit".** — Coetus alumnorum selectorum qui, antequam philosophiam incant, novum annum Humanioribus Litteris tribuunt, ut plenius atque solidius eis imbuantur.

2. **Ejus fundamentum.** — Latet in Ratione Studiorum, ubi legitur: «Nos tres non ante ad philosophiam — Provincialis — mittat quam *biennium* in rhetorica consumperint... Quod si aliqui indeole ingenii ad magnos progressus in his potissimum studiis praediti sint, ut solidius fundamentum jaciant, videndum erit an operae pretium sit *triennium* impendere» (*Reg. Prov.* 18).

3. **Ejus origo.** — Anno 1931 coepitus est haberi Salmanticae ad imitationem Cursus Classici Universitatis Oxoniensis — Oxford — in Anglia, cujus programma persequi conatur.

4. **Ejus notae.** — Duo sunt quae hunc cursum distinguunt; amplitudo atque profunditas studiorum. Non pars aliqua sive auctoris sive operis sed universus auctor, totum opus pernoscitur: Homerus Vergiliusque integri, Demosthenes atque Cicero bene multa orationum dialogorumque parte, Aeschylus, Sophocles, Euripides omnibus fere fabulis.

5. **Methodus.** — Quae omnia ut melius pernoscant, ita exercentur: Primum privato studio rem penitus penetrant, postea — in «seminario», quod dicitur — de re proposita disserunt atque disputant. Nec vero verbo solum, sed calamo etiam sese exercent: tertio enim quoque mense dissertationem scriptam publice legere debent.

6. **Finis.** — Praeparare professores litterarum humaniorum atque juvenes formare, qui possint — hoc amplissimo humanistico fundamento innixi —, posteriores labores — scribendi, contionandi, docendi, cet. — efficacius exercere.

7. **Ejus fructus.** — Quinquaginta et octo alumni instituti sunt hoc Superiori Cursu, quorum plerique adhuc studia ecclesiastica peragunt, alii in multis Europae, Asiae atque Americae locis docent, scribunt, cet.

8. **Folium "Perficit".** — Ad haec principia paedagogica evulganda materiamque professoribus alumnisque suppeditandam anno 1942 folium paedagogicum «*Perficit*» dictum — edi coeptum est, quod nunc, novis auctum foliis, singulis mensibus appetet. Ejus existant 40 numeri octoginta et duobus foliis ornati.





9. **Superiorum laudes.** — Sufficiat inter alia haec depromere: «Pulcherrimum quidem opus R. Va. in manibus habet, quod fructus optimos facere potest, his praesertim temporibus, cum studium formationis classicae ubique videtur referescere. Utinam in aliis etiam nationibus Nostri ejusmodi opus aggredierentur. Id enim et ad nostrorum juvenum formationem et ad institutionem alumnorum in nostris Collegiis magnopere juvaret» (A. MAGNI, *Vic. Gen. S. J.*).

HENRICUS BASABE, S. J.

Salmanticae, die 26 m. Martii a. 1949.

# NOVA ET VETERA

## Vehicula hodierna. — I . .



Ea vivimus aetate qua omnia celeriter peragi oportet. Properandum, currendum ubique et semper!... Idque nobis perspicuum est bestias, natura duce, immobiles permanere, homines vero ad potiora et perfectiora semper progredi... PICTURAE nostrae hujus progressus specimen praebent; quas *rerum novarum* picturas —sicut veterum tribuimus *Flavio Romano*— ad *Johannem* referemus.

JOHANNES, igitur, GUNDISALVIUS cognomine, dives est vir qui omnes animi voluptates insectatur atque experitur. Hodie cum picturam nostram vidisset, narravit quo modo adulescens profectus sit Matritum rae- da meritoria <sup>1</sup> vestitus, diem festum ut ageret atque con- tioni et hominum celebritati maxima adstaret, quae regem regiumque comitatum

avide videndum exspectabat. Quadrigam <sup>2</sup> illam equorum dum adspicit Johannes, illudque carpentum <sup>3</sup> aliquantum surridet, tempora praeterita recordans atque vehicula illa in urbe jam paene obsoleta. Tunc ille: Hodie vel ipsi pueri velocipe- do <sup>4</sup> et tricyclo <sup>5</sup> insident et laeti per vias et stratas concurredunt. Birotam <sup>6</sup>, paucos abhinc dies, Josepho filio emi; qui quidem dexter est birotarius <sup>7</sup> ac sagax, nam per medium urbem progreditur quin aliorum vehicularum incursus <sup>8</sup> timeat. Heri dum ad folliludium <sup>9</sup> iret, Carolum e regione conspexit, qui schema machinato- rum <sup>10</sup> indutus et galero <sup>11</sup> coopertus, pone eum pertransiit automatariam biro- tam <sup>12</sup> sollerter ducens.

Sed homines urbani mediae fortunae ad negotia, ad tabernas, ad commercia,

ad spectacula accelerantes, adhibent electricham<sup>13</sup>, circumveham<sup>14</sup> vel circumveham electricam<sup>15</sup>, aut ad suffugia<sup>16</sup> descendunt et metropolitanum<sup>17</sup> tramen arripiunt, vel etiam cum casus fert et urget, automolum meritorium<sup>18</sup> locant.

Cum vero opus est ad aliani urbem se conferre viatores<sup>19</sup> ad transvehas publicas<sup>20</sup> certo loco stantes, accedunt, tesseram viatoriam<sup>21</sup> emunt, commode in sedilibus consident et amice confabulantes ad locum perveniunt; quas transvehas hodie fere autocurrus<sup>22</sup> vocant.

Sunt et autotrahae sarcinariae<sup>23</sup>, quibus mercatores ad res et merces hic illuc transferendas maxime utuntur; multiplicis sunt rationis et formae, sed eodem trahendi modo volvuntur.

Divites homines automoviles<sup>24</sup> seu automata habent ac domi in receptaculo<sup>25</sup> custodiunt; quae quidem quattuor saltem vectores capiunt: cum duo tantum sunt viatores, autobirotam<sup>26</sup> cum carrulo sumunt, qua mirifice percurrentes maxime Carolus et Maria filia delectantur.

Alii hiberno in primis tempore ad loca nive cooperta se conferunt, ubi, vel ipsius loci proclivitate vel canibus provecti, trahā<sup>27</sup> velociter feruntur aut super nivem congelatam labilibus calceis<sup>28</sup> delabuntur aut nivitrahis<sup>29</sup> impulsuque perticarum vento velociores praecurrunt.

De hac nivali decursione<sup>30</sup> Josephus cum amico colloquebatur, hosque quoque sermones inter se conserentes audivi:

PAUL. — Habesne, Josephe, domi birotam?

Jos. — Et quidem optimam.

PAUL. — Tunc scies quibus latinis vocabulis varias ipsius partes et instrumenta, quae ad ipsam spectent, nomines.

Jos. — Quaedam tantum recordor quae faciliora sunt, ut laterna<sup>32</sup>, frenum<sup>33</sup>, bucina<sup>34</sup>, catena<sup>35</sup>...

PAUL. — Sed sunt et alia; sic sedes super sessibulum<sup>36</sup>, sub quo est tendiculum<sup>37</sup>, pone bursa ferramentaria<sup>38</sup>; ut autem in birotam insilias, capulum<sup>39</sup> tenes, flexorium<sup>40</sup> moderaris, inniteris pedali<sup>41</sup> quod adhaeret rotæ dentatae<sup>42</sup> coque catena et rotæ volvuntur. Si quando e pneumaticis<sup>43</sup> ventus effluxit<sup>44</sup>, antliā<sup>45</sup> inflantur<sup>46</sup>; si vero in via detrimentum<sup>47</sup> patieris, gummeum fomentum<sup>48</sup> agglutinabis<sup>49</sup> et, vento denuo injecto, feliciter obambulabis.

Jos. — Restantne aliae voces?

PAUL. — Sunt etiam biella<sup>50</sup>, valvula<sup>51</sup>, quadrum<sup>52</sup>, furcula<sup>53</sup>: his fere vocabulis omnia nominabis. Tua birota —optime birotari— feliciter deambula.

Vale.

## VOCABULARIUM

1 raeda meritoria, publica, diligencia		27 traha, ae,	trineo
2 quadriga, ae,	cuadriga	28 calceus labilis,	patín
3 carpentum, i,	tartana	29 nivitraha, ae,	esqui
4 velocipedum, i,	velocípedo	30 pertica, ae,	pértiga
5 tricyclus, i,	triciclo	31 decursio nivalis,	esquiaje
6 birota, ae,	bicicleta	32 laterna, ae,	farol
7 birotarius, i,	ciclista	33 frenum, i,	freno
8 incursus, us,	choque	34 bucina, ae,	bocina
9 folliludum, i,	futbol	35 catena, ae,	cadena
10 schema machinatorum,	uniforme de motorista	36 sessibulum, i,	sillín
11 galerus, i,	sombrero	37 tendiculum, i,	muelle
12 automataria birota,	motocicleta	38 bursa ferramentaria,	bolsa de las herramientas
13 electriveha, ae,	tranvía	39 capulus, i,	mango
14 circumveha, ae,	autobús	40 flexorium, i,	guía, manillas
15 circumveha electrica,	filobús, trolebús	41 pedale, is,	pedal
16 suffugium, i,	subterráneo	42 rota dentata,	piñón
17 [tramen] metropolitanum, i, metro, metropoli-	[litano]	43 ventus effluit,	se deshincha
18 automōlus meritorius,	taxis (coche) de [alquiler]	44 pneumaticum, i,	neumático
19 viator, oris,	viajero	45 antlia, ae,	bomba
20 transveha publica,	auto de linea	46 inflare,	hinchar
21 tessera viatoria,	billete	47 detrimentum, i,	reventón
22 autocurrus, us,	autocar	48 gummeum fomentum,	parche
23 autotraha [sarcinaria],	camión	49 agglutinare,	pegar
24 automobilis, is, automaton, i, auto	garaje	50 biella, ae,	biela
25 receptaculum, i,		51 valvula, ae,	válvula
26 autobirota cum carrulo, sidecar		52 quadrum, i,	cuadro
		53 furcula, ae,	orquilla

Josephus M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## BIBLIOGRAPHIA

BATILE HUGUET, PBRO. — «Epigrafia Latina», Cons. Sup. de Invest. Cien. «Instituto Antonio de Nebrija», Escuela de Filología, Barcelona, 1946.

Rdus. Batlle Huguet, diligens Musei Dioecesani Tarragonensis servator, hispanis praebet lectoribus hoc Epigraphiae Latinae Manuale, cui sortito obtigit ut primuni apud nos typis ederetur.

Auctor, notione Epigraphiae tradita descriptisque atque exemplo illustratis inscriptionum ordinibus, R. Cagnat potissimum duce, in partes tres opus suum

dividit: quarum prima elementa communia diversis inscriptionum ordinibus commonstrat; altera hos ipsos inscriptionum ordines formulasque atque elementa quibus illae constant sejunctim disquirit; tertia tandem eas notitias exhibet quae ad apte interpretandas edendasque inscriptiones necessariae ducuntur.

Praeterea, quo utilius commodiusque Manuale evaderet, additae sunt et copiosissimae appendices, ubi Consules Imperatoresque ordine conscriptos, notas breviationesque enodatas, bibliogra-

phiam locupletiorem, anthologiam dentique selectarum inscriptionum reperies; quam anthologiam sexdecim Inscriptio-num annotatae tabulae coronant.

P. E. BASABE, S. J. — «*La gran Meseta Oratoria del -Pro Corona-*», Análisis literario. Universidad Pontificia, Comillas, Santander, 1946.

Cum Demosthenes oratorum longe princeps ac paene lex orandi sit, cum que oratio, quae «*Pro Corona*» inscribitur, orationum optima apud existimatores habeatur; locus, qui ab Silentii Concilio adusque defunctorum Sacramentum porrigitur, eloquentissimus nempe, omnibus veluti universae eloquentiae fastigium est habendus.

Id quod ut nobis penitus persuadeatur, P. H. Basabe istiusmodi locum in disputationem vocat, eaque litterarum cognitione, ut quae graecarum rerum magistrum deceat, illum examinat atque explanat.

Ad me quod attinet, postquam legi atque perlegi locum demosthenianum, ad Quintilianum judicium esse accedendum putavi: «...tanta vis in eo (Demosthene), tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias».

ED. L. VIVES. — «*Lengua Latina*» Traducción, 1.<sup>o</sup> y 2.<sup>o</sup> Curso Clave de la Traducción, 2.<sup>o</sup> Curso. Zaragoza, 1942.

Vertere latina in vernacula optimum semper judicatum est. Sed et illa ex vernaculis conversio multum et ipsa contulerit. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio.

Hoc intellegens Domus Editrix «Luis Vives», litterarum humanitatisque fautorix, cum statuisse Grammaticam Latinam magistris alumnisque tradere, statim mancum opus se facturam esse arbitrata est, nisi interpretationis libellos adjungeret, quorum ope facilitus doctrina edisceretur. Id quod ne accideret, haec

volumina typis edidit, quae modo studiosis praebemus.

Primum Interpretationis volumen in decem dispescitur partes eum in modum concinnatas, ut alumnorum captui faciliter accommodentur. In quibus classorum dicta, sacrorum librorum excerpta, narratunculas, facetias, ex Cicero potissimum desumptas, fabulas, dixerbia, narrationes reperies. hac tamen ratione, ut unicuique parti monitum exemplumque optatae exercitationis praesit, vocabularium partes novissimas subsequatur, notulisque difficiliora illustrentur.

Alterum volumen quattuor Nepotis Vitis, triginta Phaedri fabulis, Eutropis Compendii Historiae Romae, «*De viris illust. Urbis Romae*» (Lhomond) constat, ut omissum faciam Diction, Latinum-Hispanicum, quod alumnis apto laboris instrumento erit.

«Clavis interpretationis», quae volumen alterum comitatur, quamque politter charta commendat, magnum Professoribus afferet adjumentum.

P. E. BASABE, S. J. — «*Quandoque bonus dormitat Homerus*». El Canto XIII de la Ilíada, Universidad Pontificia, Comillas, Santander, 1944.

Ne forte credas, opuscilli Inscriptio-ne deceptus, Ptrem. Basabe cum Homero voluisse congregari, hujusque, si quae essent, paucas maculas incuriamve carpare Nihil tam ab auctoris proposito alienius; qui sensum ademptum loco horatiano vindicans, summa nititur eruditione ut lectores sibi persuadeant Librum XIII Iliidis, utpote ab Homero conscriptum, affabre esse elaboratum, quamvis secundas illum habere partes necesse sit confiteri.

H F. MULLER. — «*L'Époque Mérovingienne*», Essai de Synthèse de Philologie et Histoire. S. F. Vanni, New York, 1945.

«Gentis cuiuslibet lingua īdolem rationemque illius manifestat. Nam cum lingua sit mentis opus, quōdcumque

mens operatur, ab illa dederuntur necesse est».

His Mauricii Croiset verbis adductus, opus aggressus est auctor nec satis expeditum neque omnino adhuc exploratum. Quod quamvis adumbrationis (*ensayo*) nomine veniat, id tamen auctoris modestia, non operis vilitate metendum est.

Aetas, quae Merovingia vocatur, quaeque ab romano imperio labante adusque Carolum Magnum fere porrigitur, perobscura ab historicis semper est habita; quae tamen obscura nunquam diceretur, nisi perdifficile nobis esset illius notitiam effingere. Adde quod nonnulli linguam etiam obscuritatis insimulaverunt.

H. F. Muller, vir rebus historicis deditus sollersque philologiae cultor, persuasum nobis esse vult historiam aetatis Merovingiae sermonis historia esse illustrandam, sive quod sermo quoddam quasi aetatis complementum est habendus, sive quod illius ope animi motus, qui vulgus hominum commovent quoque linguae mutationes manifestant, clarius perspicuntur.

ISIDORUS MAULEÓN

A. TOVAR. — «*Lucianon*, nueva versión directa. Colección Clásicos Labor. Editorial Labor, Barcelona. 310 p.

In hoc libro Cl. vir et Professor Salmanticensis Dnus. Ant. Tovar nobis Luciani Samosateni nonnulla ex operibus excerpta profert, in hispanicam linguam translata. Ea utique complectitur liber quae Luciani personam et indolem et ingenium exhibent. Quae auctor de vita Luciani narrat, quis in litteris, in philosophia, in religione fuerit Lucianus non inepte demonstrant. Haec velut imago animadversionibus magis magisque adumbratur, quas Dnus. Tovar operibus quibusque praeponit.

Samosateni opus, quod litteras attinet, optimum sane fuit. Atticorum rhetorum atque scriptorum elogium tam in dialogis quam in elucubrationibus sophisticis floret. In Asia natus, classicorum assiduo cultu et lectione loquelam sibi adeptus est quam populus totiens plausibus et admiratione affecit.

In philosophicis multum, maxime vero in religiosis, eadem crisi laborat Lucianus qua tunc temporis omnes fere homines laborabant.

Nimis Lucianus erat callidus, nimis mente acutus nec poterat quiete cum tot deis deabusque in caelo, in terris, in inferis habitare. Ideo omnes fabulas et antiquorum mithos impie illudet, eclectican, ut ajunt, sententiam amplectens quin veram doctrinam assequi conetur, quippe qui plausus tantum et populi delicationem in mente habuerit.

Hispanica Dni. Ant. Tovar translatio optima est: Quaedam tantum, eaque minima — typographis quandoque tribuenda —, desiderantur

M. RAMOS, C. M. F.

M. NIEDERMANN. — *Aulularia, Menaechni, Mostellaria* (T. Maccius Plautus). Editiones Helveticae, 1946.

Quantum voluptatis et oblectamenti classicos scriptores legentibus optima quaeque et accurata textuum editio afferat, hoc opusculum probat, in quo tres illae Plautinae fabulae a Dre. M. Niedermann, philologicarum rerum clarissimo auctore, adumbrantur quam plurimis et utilibus notulis non modo ad primigenium textum stabilendum verum ad metricam etiam ac Plauti sermonem pertinentibus.

Opus igitur nostris PALAESTRAE lectoriibus magnopere commendamus, qui cum assida manu hoc pulchrum «editionum Helveticaarum» evolverint volumen, magni nec immerito habebunt.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# PALAEASTRA EXERCITATORIA

## Salve Pater!

*O Pater nostri bone, qui supernis  
sedibus caeli resides beatus,  
me tuas Sapphus tribuat referre  
carmine laudes.*

*Virginis dulci studio perustus  
glorias ejus celebrare Cordis  
ardet et flammis animas amoris  
urere Matris.*

*Fervidus Claret stimulis amoris  
raptus, in flamas Barathri cadentem  
clamat: «infelix, rigidas Averni  
effuge poenas!»*

*Spiritu ductus Superi, Mariae  
Cordis ad laudem, religare corda  
vinculo fratrum meditatur igne  
Matris adusta.*

*Pontifex magnus Domini sacratus  
igne divini decoris voratur,  
alter et Paulus: «caritate Christi  
urgeor», inquit.*

*Perfido fusum gladio cruento  
obtinet Christo pius immolare,  
corpori tandem memoratque fixa  
stigmata Iesu.*

*Integer Claret populos Regentem  
lucis exemplo regit, et caduco  
de throno, caeli juvat ad perennem  
scandere sedem.*

*Exsulis dire renuit quietem  
corpori tellus; tamen advocati  
spiritum caelum recreat superni  
pace triumphi.*

*O Dei cultor Genitricis ardens!  
impiger nunti Domini atque martyr!  
nobilis Praesul, populique pastor  
sedule! Salve!*

## Navis invicta

*Nocte qua terram, tenebris avernum  
velat obscuris, tonitruque caelum  
commovet, navis mare fluctuosum  
transmeat audax.*

*Fluctibus ponti quatitur furentis,  
turbidis ventis agitatur ira,  
et pluunt nubes rapidique flammis  
fulminis ardent.*

*O ratis: quænam miseram per altum  
sors tulit pontum? celer haud peraudis  
quo modo ventus maris in profundum  
mergere certet?*

*Nonne te fauces retrahent opacæ  
gurgitis portum, neque pertimesces  
dedecus cladis pavide sub hoste  
ducere vili?*

*Cur sed affectus tibi providere  
concitat? Vinces! Superi merebis  
lauream certe, rigidae peracto  
tempore pugnae.*

*O ratis, vinces! Juvat Ipse Christus,  
tuta procedes medias per undas,  
pone moerorem; juvat et Maria  
lumine grato.*

*O Maris stella, proba naviganti,  
ad ratim vertas oculos benigna,  
Tu pie, Iesu bone, deprecantis  
suscipe votum!*

L. MARCOS, C. M. F.

# CURIOSA ET JOCOSA

## EPIGRAMMATA

### 249. — FACETE

—Quam sumus abnormes! — Numero, dilecte, loquaris  
unius. — Verel, quam puto te esse rudem!

### 250. — A SARTORE

—Unde venis adeo ruber? — A sartore scelesto.  
Insudare mihi, crede, necesse fuit  
ut nummos vellet sanctos sumere. — Curnam?  
—Proh pudor!, ardebat perfidus ille magis.

### 251. — TENAX MEMORIAE VIR

—Hac in caupona quandam convenimus ambo.  
—Nosci me? — Minime, sed mihi nota probe  
est toga qua tegeris. — Scito tunc temporis illam  
deesse mihi. — Quoniam tunc erat illa mihi.

### 252. — INTER CALVOS

—Cur sine pileolo, cum tantum frigeat aether?  
—Praesidio frigus dicitur esse comis.

### 253. — SORDIDE

—Comminuens olim nucleus Rufillus avarus,  
sensit se dentem comminuisse sibi.  
Palluit infelix, totoque perhorruit ore,  
membraque solliciti contremuere viri.  
At subito, placide: — Non hunc, ait, aere coemil  
credideram fictum comminusse nihil!

### 254. — INTER PHILOSOPHOS

—Res mihi perspecta est animum, labentibus annis,  
migrari: quare qui fuit ante fera  
obtinet humanam sortem. — Te jure beatum!  
—Cur? — Quia post mortem te fore credo virum.

### 255. — LUCRI STUDIOSUS

—Quanti prandetur? — Pesetis quinque, tribusque  
cenabis — Subeat cena, puella, mihi.

### 256. — LICITANS CUM MEDICO

—Jure quid e pretio, doctor, deducere possis.  
Scito meum sponsum multiplicasse luem.

ISIDORUS MAULEÓN, C. M. F.

257. —

D. Tiburtius Bl. Blul Vitans  
Loricae

Ordinatim disposita hujus chartulae signa manifestaria (*dirección*), scriptoris  
classici romani ejusque nobilissimi libri nomina effinges.

ROMANICUS ET PALAESTRICUS

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.